

ravaszsághot), hogy még az eredendő bűnben is nem tudja, hogyan van része, nem pompás szegény, nem is hivalkodó, egy szóval olyan, a ki nem egyéb Isten áldásánál. Azért édess Méltóságos Uram Attyám, Nagyságodtól egyebett nem kérek, hanem elsőben is csak recomendálny méltóztassék, a kitt a leggazzabb szolgának is megadatik, azomban hogy a bárí kevessett ehez a többihez méltóztassék nekünk engedni, pro 3-o pedigh, fele adosságomnak, mint ezen paluskáét magára venny, a felérül mink gondolkodnánk.

Ez a summája eddigh való fáradsághimnak s minden szándékimnak; ha lehetséges boldogulnom Nagyságod által (hiszen lehetlenséget nem kívánok), kérem tovább is az élő Istenre Nagyságodat boldogítson; ha pedig nem, vége van mindennek. Mert ugy kormányoztam doigomat, hogy olyas személyt váloszak, a kiből talám semmi exceptioja Nagyságodnak ne lehessen s meg is mutatnám aztott. Azomban csak ugyan ezen segítség is jó, mert ha megengettetnék, egy részétt Szent-Györgynek kiváltannám, sütt kiváltannám cum portione Somodyana, még ezüstbül is lehetne, pro sartis tectis és valamely kereskedésre is megmaradna; az öttezer forintját pedigh ezután Isten éltetvén, három esztendő alatt leteszik. Mellyett midőn cum plenissima fiducia Nagyságod atyai kegyess lábai elejben terjesztem, maradok kegyess atyai kezei csókólván, atyai áldását implorálván, igaz hívséghez

Méltóságos Uram Attyámnak Nagyságodnak
Sz. György 4. 8-bris 1733.

eörököss engedelmes alázasos fia
Amade László Ferencz.

Ktár 1900/14.

Közli: VÉRTESY JENŐ.

BENCZÜR JÓZSEF LEVELEI RADVÁNSZKY LÁSZLÓHOZ ÉS JÁNOSHOZ.

— Második és befejező közlemény. —

XI.

Pozsony, 1770. nov. 17.

Spectabilis ac Perillustris Domine, Domine mihi summa pietate colendissime.

Gratias ago Sp. ac. P. D. Vestrae pro pecunia mihi gratiose submissa, simulque hac occasione chirographum mihi datum remitto.

Gratulor Sp. D. Vestram ita fuisse felicem, ut plene iam sit ab adversae partis impetione (*sic*) secura et absoluta, precorque, ut nunquam lis haec possit amplius resuscitari. Existimat B. Vajay adversam omnino partem nihil amplius posse accipere.

Sp. Domina Plathiana Sp. D. Vestrae soror ascendit ante 10 dies

Viennam pro cura, ubi forte ad finem anni est commoratura. Interim optassem, ut alia anni parte, qua tempestas erat melior sereniorque, Viennam concessisset. Nunc enim variis de causis cura, imprimis tam periculosi et delicati morbi, difficilior erit. Sed forte D. medicus causas habebat, ob quas, ut nunc ascenderet, rem adurgebat. Ego Dominae praeclarae successus felices opto.

Apud nos in praesens non multa habemus nova. Adparatum bellicum ingentem in regno fieri et in ditionibus suae Maiestatis, certum est, sed quem in casum, non constat. Num cum Russis vel contra Russos Augusta Aula, si proxima hieme pax non procurabitur, sit actura, id vero nemo est, qui facile ante tempus iustum ostenderit.

Viennae recenter schola est erecta, quae imprimis pro mechanicis et artificibus est futura, illisque commoda procuratura multa. A die 1. Novembris quoque inceperunt litterati certi viri nova scribere et edere, quorum titulus *Real-Zeitung*, in quibus ea imprimis, quae ad artes, opificia, commercia pertinent, exponentur, et multa etiam ad ius publicum regni Hungariae. Pro integro anno pro novis et in cursu publico non plus, quam fl. 6 solvendi erunt, adeoque, tres quatuorve viri si in societatem coiverint, novis his cum fructu vilique pretio uti possunt.

Ceterum cum Sp. D. Vestrae et toti inclitae Domui prosperitatem quamvis voveo, ulteriori gratiae commendatus maneo

Sp. ac P. D. Vestrae

Pozsonii, die 17. Novembris 1770.

servus humillimus
Josephus Benczur.

XII.

Pozsony, 1770. decz. 22.

Spectabilis ac Perillustri Domine, Domine mihi summa pietate colendissime.

Una iam est septimana, quod Eisertbrius Neosoliensis auriga apud me duo vasa nobilioris casei pressi Briznensis deposuerit, adseveraveritque a Sp. ac P. D. Vestra mihi gratiose esse submissa. Ego cum idem dubitaverim esse verum, existimaverimque Sp. D. Vestram eadem vel huiusmodi Dominorum alicui, vel vero Viennam destinasse, litteras hucdum a Sp. D. Vestra mandataque, quo expediri deberent, exspectavi. Sed cum multa supervenerint, has ad Sp. D. Vestram exarandas esse duxi, quibus perquiro, ad quemnam idem caseus pertineat. Nescio enim, quomodo tantum beneficium meruerim et quid praeter gratiarum actionem praestare possim.

B. Vajay mirabatur Sp. D. V. nihil penitus scribere, sed cum audiam eum a Sp. D. Vestra litteras iam accepisse et caseum, nullus dubito eum nihil amplius de his esse commemoraturum.

Hic, ne pestis in Hungariam aliqua ratione transferatur, multum Exc. C. Reg. Loc. est sollicitum. Ante 4 dies Exc. Camera quodam a

tricesimatore Incliti Comitatus Zempliniensis litteras accepit, quibus ille significavit duos in pagos Zempliniensis comitatus pestilentiam seu perlatam esse ex Polonia, seu erupisse. Quia tamen ad Excelsam Cameram Regiam et ad Excellentissimum Comitem Leopoldum Pálffi praefectum rei bellicae per Hungariam nihil est perscriptum: putant multi relationem hanc fundamento omni destitui. Eo tamen non obstante Exc. Consiliarius Regius ad inclitum comitatum Zempliniensem prescripsit sibi silentium comitatus magistratualis multum displicere, rationesque silentii deposcit. Scriptum est praeterea ad comitatus, ut diligentissime adtendant morbis et peregrinantibus. Quum primum aliquis contagiosus morbus se insinua-verit, statim incliti comitatus universitati, imprimis medicis est insinuandus. Ex uno vero comitatu nullus in alterum, nisi litteris passualibus fuerit instructus, admitteretur. Si cras nihil ad Exc. Consiliarium Regium venerit a Zempliniensibus, tota res erit conficta, qua de re Sp. D. Vestrae proxime scribam plura.

In Germania ingens est frumentorum defectus. Plurime urbes imperiales pro illis ex ditionibus Augustae impetrandis Viennae sollicitant: hucdum tamen parum profuerunt. Postquam Austriacis ditionibus fuerit provisum, concedetur facultas illis quoque grana apud nos comparandi. Granaria regia passim complentur annona, quem in finem, dies docebit.

Apud nos die 7. Januarii restauratoria erit sub praesidio, quod iam innotuit, Magn. Domini commissarii regii, quomodo vero illa decurret, dies docebit. Multi enim ob novam regulationem magistratualium ab oneribus, qui cum honoribus publicis sunt iuncti, liberari cupiunt. Ceterum, cum supremus comes hac occasione non sit restitutus, Deus optime novit, quamdiu illius munus adhuc erit suspensum.

Viennae nuper admodum prodiit libellus parvus, qui hic multos reddit valde adtentos. Titulus eius sequens est: *Eusebii Verini commentatio iuridica critica de iure hereditario seren. Domus Austriae in hereditarium regnum Hungariae* etc.¹ Sunt in eo multa paradoxa, et quae systemati, quod ordines regni Hungariae habent, repugnare videntur.

Ex *Febronii* labore partem II. iam habemus, quo refutare auctor nititur illos, qui adversus suum opus scripserunt.

Quae de Cardinali Viennensi spargebantur, conficta esse videntur, eo quod is non solum sit Viennae, sed accessus ei etiam ad aulam saepe pateat.

Ceterum cum Sp. ac P. D. Vestrae totique inclitae Domui non solum clausulam anni huius, sed auspicia etiam imminentis anni felicissima opto, gratiae ulteriori commendatus maneo

Sp. ac P. D. Vestrae

Posonii, die 22. decembris 1770.

servus humillimus
Josephus Benczur.

¹ A munka pontos czíme: Eusebii Verini commentatio iuridica critica de hereditario iure Serenissimae Domus Austriae in *Apostolicum* Regnum Hungariae, de iure eligendi regem, quod ordinibus inclitis Regni Hungariae quondam compete-bat, de corrigente, rege iuniore et ducibus regiis, quos olim Hungaria habebat.

XIII.

Késmárk, 1771. febr. 21.

Spectabilis ac Perillustris Domine, Domine mihi summa pietate colendissime.

Multum doleo, quod dum nuper per Zoliensem comitatum ad Scopusienses iter faciebam, Sp. ac P. D. Vestram Radvanii non deprehenderem. Sperabam me de pluribus cum Sp. D. Vestra acturum, spe tamen hac excidi. In eo tamen ero, ut futuro Augusto illas ad partes excurram et cum Sp. D. Vestra de pluribus variisque conferam. Adtuieram Posenio a Domino Adonyi causam Sp. D. V. pertractatam, decisam, supremaque auctoritate corroboratam, quam apud Dominum Provisorem deposui, speroque eundem esse Sp. D. Vestrae cum novo Calendario titulari traditam.

Febronium pro Sp. D. Vestrae usibus emtum ea de causa depone non poteram, quod eum cum impedimentis aliis Posenii relinquere debuerim, unde cum iam adlatus sit, eundem nunc submitto. Exposui pro illo Rfl. 3 kr. 45, pro *Verino* vero, quem etiam adnecto, kr. 42. His ex partibus nihil novi possum perscribere, nisi quod inclita universitas huius nunc Leutschoviae sit in congregatione, ubi forte de urbarialibus etiam agetur.

Ceterum cum Sp. D. Vestrae et toti inclitae Domui prosperitatem quamvis voveo, ulteriori Gratiae commendatus maneo

Sp. ac P. D. Vestrae

Kesmarkini, die 21. febr. 1771.

servus humillimus
Josephus Benczur.

XIV.

Késmárk, 1771. jul. 16.

Spectabilis ac Perillustris Domine, Domine mihi summa pietate colendissime.

Cum sciam Sp. ac P. D. Vestram completam habere velle scriptorum nostrorum collectionem, destinavi quoque Sp. ac P. D. Vestrae unum exemplum *Kerchilichianorum* operum, hoc est *ecclesiae Zagrabienensis historiam*, item *notitiam eius regnorum Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae*, item *seriem episcoporum Zagrabienstum*. Decem exempla pro amicis aegre impetravi, quia Veneti opus hoc valde coemunt, cum iura eorum in Dalmatiam impugnet valde. Pro uno exemplari trium horum operum dedi fl. 9, gr. 10, quod ex litteris bibliopolae Poseniensis, per quem ea procuravi, patet, quas Reverendus Sextius ostensurus est. Auctor hic rarissima et elegantissima adducit diplomata, sincere valde scribit, licet stilo simplici et confuse. Bullam Silvestri II. evertit et propter alia libros hos eius magnifacio speroque Sp. D. Vestram illis locum in bibliotheca sua grato animo concessuram.

Nuperis gratiosis ad me datis Sp. D. V. me subsumere dignabatur, acsi *Eusebii Verini* essem auctor. Deprecor, quod hac in parte Sp. D. Vestrae contradicere cogar. Non sum ego tanti, ut ea, quae ille adducit, conquirere, vel similis quid ingenius meus parturire possit. Est illa commentatio iuridica critica, unde vero ego mihi iuridicam adtribuere possem cognitionem, imprimis tam sublimem, uti auctor ille sibi vindicat, cum adversus patriarcham advocatorum¹ insurgat, atque saepius durius castiget. Alter ergo erit auctor, et quantum mihi quidem perscriptum est, Pestinus aliquis, qui opusculo hoc meritum quaerebat ad obtinendum professoratum in Tyrnaviensi academia.

Vellem plura, sed occasio properat. Proxime pietatem testabor.

Ceterum cum Sp. D. V. totique inclitae Domui prospera quaevis voveo, maneo

Sp. ac P. D. Vestrae

Kesmarkini, die 16. Julii 1771.

servus humillimus
Josephus Benczur.

XV.

Késmárk, 1772. máj. 12.

Spectabilis ac Perillustris Domine, Domine mihi summa pietate colendissime.

Commeat Petrikovicius in patriam suam privatorum suorum negotiorum causa, quem vacuum dimittere nolui. Primum quidem significo, eum tempus hucdum bene collocasse, et in illis etiam studiis, quae ad futuram eius vitae genus pertinent, fecisse profectus. Vult ille dare iuri operam, ego, sicuti iuridicum studium amo, ita studiosis quoque partes iuris proposui hucdum, quas iam quoque iuventuti nostrae in scholis proponendas esse iudicarem.

Deinde est in Regimine Nanndorffano chirurgus hinc oriundus, nostrae religionis, Jacobus Toperczer dictus, qui applicationem in comitatu aliquo, civitate vel oppido quaerit. Audivit ille ante 6 annos studia chirurgo necessaria in academia Viennensi, examinique ante tres annos se subiecit, quo feliciter superato accepit a medica facultate licentiam praxim chirurgo convenientem instituendi. Hiemem praeterlapsam Viennae iterum exegit et ibi in theoria ac praxi melius se exercuit, vellet tamen fixam stationem iam consequi et regimini, cui ultra 3 annos seruit, valedicere. Si Sp. D. V. vel in oppido suo Raduan eundem accomodare, vel alieni comitatu aut urbi eundem commendare posset, daret operam, ut officio suo satisfaceret. Attestata pulchra a superioribus, a quibus dependet, adferret.

Nos in vicinia bellum metuimus. Pars copiarum Austriacarum proxime in Poloniam est transitura, quo fine, dies docebit. Copiae Rusticae et Borussicae ibi augentur, Austriacae quoque eo proficiscentur, contra

¹ Verbőczit érte, kinek a munka többször ellentmond.

quem? Deus optime novit. Volunt forte obicem sibi ponere potentiae hac, vel Austriaco-Borussica mediatione et opera inter Russos et Polonos pacem procurare? dies docebit. Si Borusso Polonica Borussia est promissa, Augusta Aula nostra minimum Halicium, Wlodomeriam, Oswieczinam, Zatoriensem et Severiensem Principatus a Polonis est receptura et recuperatura. Sed de his aliorum est iudicare. Ego praeterito anno *deductionem* elaboravi¹ in *Osswieczinensem, Zaturiensem et Severiensem Principatus* ante 11. saecula iniuste a Silesia superiori avulsos, quae Viennam ad consilium bellicum est missa. Si Augusta domus Principatus nominatos receptura est, praemium expectare mihi licebit.

Imponuntur quaeque mihi labores per alios magnos viros, qui alias difficiliore sunt. Apud nos die 15. Aprilis obiit Sp. Dn. Alexander Berzeviczi, qui certe magnus erat vir et scholae nostrae patronus.

Ceterum cum Sp. D. V. et toti inclitae domui prosperitatem quamvis voveo et ulteriori gratiae me commendo, maneo

Sp. ac. P. D. Vestrae

Kesmarkini die 12. Maii 1772.

servus humillimus
Josephus Benczur.

XVI.

(*A levél, melyhez a P. S. mellékelve volt, elveszett.*)

P. S. Auctores hic adpositi, uti ipsius bibliopolae manus testatur, propter nitidum typum formaeque splendorem pretiosi omnino sunt; dantur vero et aliae aequae Hollandiae editiones, quae istis non multum cedunt, tantum quod in 8-vo prostant, facili pretio comparabiles. Ceterum futuro die 3. Augusti Illustris quondam Jurisconsulti huius Fridericianae, Thomasi, Bibliotheca hic auctionaria lege distrahetur, in qua omnes, quos Sp. D. V. desiderat auctores, optime conditionati et perbelle compacti, imo et elegantissimi rerum Hungaricarum commentatores occurrunt, qua occasione si Sp. D. Vestrae ita visum fuerit, ut ad dictum diem 3. Augusti per cambium Domini Vokan vel alius cuiuscunque aliquantam pecuniolam submittat, sumtibus compendiosissimis uti quidem spero omnium desideratorum librorum potietur. Operum etiam Ciceronis omnium quae recentissime prodiiit editio apud Lipsienses, nitida admodum est et praeter notas elegantiori ornata contentorum indice, venitque in cruda 4. ni fallor imperialibus. Praestolabor itaque Sp. D. Vestrae benevolum mandatum in cuius exequutione faciam, ut nihil ex parte mea desideretur.²

SZENTPÉTERY IMRE.

¹ Megjelent 1772. *Juridicum Hungariae in Russiam minorem* stb. cz.

² A lap másik oldalán a könyvkereskedő irásával classicus auctorok kiadásainak jegyzéke.